De dignitate Senatoria.

6. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Polliæ.

ADinvidiam alicui nocere nullam [1] dignitatem oportet: Unde intelligis, quod ad metum arguendum, per quem dicis initum esse contractum, Senatoria [2] dignitas adversarii tui sola non est idonea. PP. 3. Kal. Maji, *Heracliæ*, CC. CONSS. 294.

De metu mortis, cruciatu corporis, capitalibus minis.

7. Iidem AA. & CC. Cotui. [3]

SI donationis [4], vel transactionis, vel stipulationis, vel cujuscunque alterius contractus obligationis confectum instrumentum, metu mortis, vel cruciatu corporis extortum, vel capitales [5] minas pertimescendo, adito Præside provinciæ probare poteris: hoc ratum haberi secundum Edicti [6] formam non patietur. Dat. 2. Non. Jan. AA. CONSS. 299.

De spe recipiendi, de metu civilium munerum.

8. Iidem AA. & CC. Tryphonio.

CUm te domus & horti venditionem fecisse sub spe recipiendi, quod de frumento feceras, instrumentum, vel timore ne ad [7] civilia munera nomineris, proponas & rescindi venditionem, veluti metus causa factam, desideres: intelligis, ad ratum non habendum contractum, metum hujusmodi [8] prodesse non posse. Dat. 11. Kal. Sept. *Viminacii*, CC. CONSS. 300.

De jactatione, contestatione, atrocitate facti.

9. Iidem AA. & CC. Hymnodæ.

METum, non jactationibus [9] tantum, vel contestationibus [10], sed atrocitate [11] facti probari convenit. Dat. Kal. Decembr. CC. CONSS. 300.

De metu accusationis.

10. Iidem AA. & CC. Faustinæ.

ACcusationis institutæ [12] vel futuræ metu [13] alienationem seu promissionem factam rescindi postulantis, improbum est desiderium. Dat. 6. Kal. Febr. CC. CONSS. 302.

De eo qui est in officio: de eo qui conjugis *vel* amici *nomine abutitur.*

11. Imp. CONSTANTINUS [14] A. ad Euagrium PP.

SI per impressionem quis aliquem metuens faltem in mediocri [15] officio constitutum, rei suæ in eadem Provincia vel loco, ubi tale officium peragit, sub venditionis titulo fecerit cessionem: & quod emptum fuit reddatur, & nihilo [16] minus etiam pecunia retineatur: simili pœna servanda, si qui vel *conjugi* vel [17] *amici* [18] nominibus abutentes, prædam tamen sibi acquirant. 10. Kalend. Octob. *Aquileiæ*, CONSTANTIO A. VII. & CONSTANTINO [19] Cæs. CONSS. 353.

De extortis per potentiam.

12. Impp. HONOR. & THEODOS. AA. ad populum.

VEnditiones [20], donationes [21], transactiones [22], quæ per potentiam [23] extortæ sunt, præcipimus infirmari. Dat. 13. Kal. Mart. *ipsis* AA. VIII. & III. CONSS. 409.

TIT. XXI.

DE DOLO [24] MALO.

Si fidejussor a creditore pignora emerit.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Clementinæ.

SI [25] fidejussor a [26] creditore pignora emerit [27]: oblata [28] quantitate sortis & usurarum [29], tibi dominium cum [30] fructibus, quos bona fide percepit, consultius restituet, ne fidei [31] ruptæ gratia de dolo possit actio exerceri. Accepta Dat. 3. Id. Maji, PLAUTIANO & GETA CONSS. 204.

Si alia actio detur vel non. De causæ cognitione.

2. Imp. ANTONINUS A Agrippæ.

DE dolo actio, cum [32] alia nulla competit, causa cognita permittitur. Dat. Non. Novemb. GENTIANO & BASSO CONSS. 212.

De absentia Reip. causa.

3. Imp. GORDIANUS A. Aquilino.

NOn possunt obesse tibi tempora [33], quæ in actione de dolo solent computari, quibus Reipublicæ [34] causa (ut allegas) occuparis: sed exinde tibi incipiet tempus cedere, ex quo muneribus liberatus, facultatem agendi intra præstituta tempora cœperis obtinere. PP. Idib. Auguſt. SABINO II. & VENUSTO CONSS. 241.

De contractu, facio ut des.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Manandræ.

CUm proponas, inter te, & eum quem in contubernio [35] ancillam tuam sibi conjunxisse memorasti, placuisse, *Ut* [36] *tibi pro eadem daret mancipium*: intelligis, quod si manumisisti, vel ei tradidisti, & ille manumisit, revocandæ [37] libertatis potestatem non habes, sed solum, si necdum statutum tempus excesserit, & fidem placiti rumpat, desiderare debes, de [38] dolo tibi decerni actionem. Quod si penes te dominium ejus remansit: adito Præside provinciæ, cum natis ejus hanc potes recuperare, si nulla moveatur status quæstio. Dat. 3. Kalend. Maji, *Heracliæ* CC. CONSS. 294.

De transactione inter filiam emancipatam & patrem qui tutelam ejus gessit.

5. Iidem AA. & CC. Amphidrosæ.

SI superstite patre per [39] emancipationem tui juris effecta, matri successisti, rebusque tuis per legitimum [40] tutorem patrem eundemque [41] manumissorem administratis, postea transegisti [42] cum eo bona fide: perspicis, quod si pactum [43] tantum factum sit, petitio tua per exceptionem [44] submovetur: Si vero novatio [45] legitimo modo intercessit, & acceptilatio [46] subsecuta est: nullam [47] tibi jam superesse actionem. † Sane, si læsa es immodice [48] liberatione solenniter per novationem, atque acceptilationem tributa: non de dolo propter [49] paternam verecundiam, sed in factum actio tibi tribuenda [50] est. Dat. Id. Jun. CC. CONSS. 294.

De indiciis.

6. Iidem AA. & CC. Hymnodæ.

DOlum ex indiciis [51] perspicuis [52] probari convenit [53]. Dat. Kal. Decemb. CC. CONSS. 294.

De repudiatione hereditatis.

7. Iidem AA. & CC. Sebastiano.

SI major quinque & viginti annis hereditatem fratris tui repudiasti: nulla tibi facultas ejus adeundæ relinquitur. Sane, si ejus uxoris tibi substitutæ dolo [54] factum est, actionem de dolo contra eam exercere potes. Dat. 16. Kalend. Maji, CC. CONSS. 294.

De tempore hujus actionis.

8. Imp. CONSTANT. A. ad Symmachum Vicarium.

OPtimum [55] duximus, non ex eo die, quo se quisque admissum dolum dicisse commemoraverit, neque intra anni utilis tempus, sed potius ex eo die, quo adseritur commissus dolus, intra continuum biennium de dolo actionem moveri: sive abfuerit, sive præsto sit is, qui dolum se passum esse conqueritur. † Omnes igitur sciant, neque [56] incipiendæ post biennium [57], neque ante completum biennium cœptæ, post biennium [vero] finiendæ doli actionis [esse] concessam licentiam. Dat. 8. Kalend. Aug. *Nesso* [58] CONSTANTINO A. V. & LICINIO CÆSARE CONSS. 319.

TIT. XXII.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE MINORUM [59] [VIGINTIQUINQUE ANNIS.]

De querela inofficiosi.

1. Imp. ALEXANDER A. Plotianæ.

ILlud inspiciendum est, num inofficiosi querelæ vel palam vel tacita [60] dissimulatione sit renunciatum. Nec hoc autem in tuam personam cadere possit ad auxilium, quod ætati impertitur, ostendit. Dat. 5. Id. Jul. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

1 Etiam imperatoriam & publicam. *l. 2. in fin. §. ne fiscus, vel Respub. procur.*
2 Ex sola dignitate Senatoria non præsumitur metus illatus, *ut hic*: multo minus Senatori præsumitur metus in urbe illatus. *l. ult. in pr. ff. eod.* Quid reverentia paterna? eltne metus species? non est justa. *l. 26. §. 1. in fin. ff. de pignor. & hypoth. l. 22. ff. de rit. nupt.* Quid maeriti? & ea quoque non est in dubio justa. Bald. *hic*: quid patroni? vid. *l. 1. §. 5. ff. quarum rerum actio.* *Quæ vi.*
3 Ἐὰν στρέφοιτο ἢ ἐπιστρέφοιτο, &c. id est, si venditionis, vel stipulationis, 10. *Synopf. Basil.* περὶ ὅρκου, *cap.* 29. Hinc colligitur, donationem esse contractum. *l. 8. ff. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum.* adde quæ not. ad *l.* 19. *ff. de verb. sign.* & Bellon. 2. *supput.* 2.
4 Quando minæ illatæ censeantur, vide *l.* 9. *ff. eod.*
5 Minæ capitales justum metum inducunt. *l. 8. §. 1. 2. 3. ff. eod.*
6 Τὸ νομικὸν διπάτριμον, *Syn. Basil.*
7 Metus ne quis vocetur ad munera, non inducit actionem quod metus causa legalis edicti.
8 Cur ita? vid. *l.* 9. *ff. eod.*
9 Jactationes metus inferendi ad futurum pertinent: metus autem est vis præsentis *l.* 9. *ff. eod.*
10 *L.* 13. *l.* 22. §. *de transact.*
11 Vid. quæ dixrad *l.* 13. §. *de transact.*
12 Qui quid metuens facit, ne sibi damnum adferat accusatio instituta vel instituenda, metum sibi inferit potius quam ab alio accipit. Metus spontaneus non attenditur.
13 Id est, cum metuerem ne me accusaret, vel ne ab accusatione incepta desisteret. *Syn. Basil. ead. c.* 32. adde *l.* 9. *ff. de contrahend. & commit. stipul.*
14 Fe. Constantius.
15 Vid. *l. unic. §. de contrar. judic. Synopf. Basil.* 19. *tit.* 1. *ex lib.* 10. *tit.* 2. *c.* 33. multo magis in majori. *l.* 3. §. 1. *l. ult. in fin. ff. eod.*
16 V. *l. pen. ff. de resc. vend.* V. Cujac. 16. *obs.* 13. ubi tractat de his, quæ administrantibus vel officium publicum gerentibus vendita sunt.
17 Fraudem facimus legi, quoties non ipsi, sed per interpositas personas legis mentem violamus. dixi ad *l.* 5. §. *de legibus.*
18 Amici nomine abuti non oportet, *ut hic.* Imo possumus abuti. *l.* 14. *ff. de contrah. & commit. stipul.*
19 Fe. Constantio.
20 *L. ult. C. Theod. de contrahenda emptione. lib.* 3. *tit.* 1. *l.* 23. §. 1.
21 *L.* 7. §. *eod.*
22 *D. l.* 7. Adde & quoscunque contractus. *d. l.* 7.
23 *L.* 3. §. 1. *ff. eod. d. l.* 6.
24 4. *D.* 3. & 1. Paul. *sent.* 8. & 2. *C. Th. eod. l.* 15. & 10. *Eclog.* 3. περὶ δόλου. & 1. Harm. 3. *c.* περὶ δόλου. & 2. *C. Th. eod. l.* 15. & 10. *Eclog.* 3. περὶ δόλου. & 1. Harm. *Nestar.* 9. *cap. de dol. & fraude. de simulatione.* vid. T. *plus valere, quod agitur.*
25 Vide omnino ad hanc legem Cujac. 3. *obs.* 37.
26 Fidejussor pignora a creditore potest emere, non tamen debitor jus dominii amittit, ut cui competat jus pretii offerendi. Ponamus obtusilisse pignus reddendum. An & fructus quoque percepit? unique si pignus simplex erat, non usurariam: & ita hanc legem intellige. cum Molinæo *quæst.* 49. *n.* 349. *de usuris. l.* 59. §. 1. *ff. mandati. l.* 5. *in fin. l.* 6. *ff. de distract. pign. l.* 59. *ff. de fidejuss. & mandat.*
27 Pignus debitoris fidejussor a creditore potest emere, *ut hic*, at non in præjudicium secundi alterius creditoris. *l.* 2. *ff. de distract. pign.*
28 Id est, si offeras fidejussori tuo sortem & usuras: vicissim tibi pignoris dominium & fructus restituet.
29 Easdem usuras secundus creditor rei principalis, pignus a fidejussore revocans, fidejussori offerre debet. *d. l.* 2.
30 Sorti mutui opponitur dominium pignoris: sortis usuris fructus pignoris. *l.* 2. T. *de usuris. l.* 5. T. *de act. empt.*
31 Fidem rumpit debitori, qui cum simpliciter pro eo fidejusserit, pignus ejus eo inscio emit nec debitum offerendo cum usuris restituit: vel pignus quidem offert pretium & usuras offerenti debitori, fructus tamen pignoris sibi retinere vult.
32 *L. l.* 5. *l.* 1. *ff. eod.* doli actio cum nulla alia concurrit.
33 De quibus vide *l. ult.* T. *eod.*
34 Tempus novendæ actionis de dolo præteritum absenti Reipublicæ causa non nocet.
35 Connubium quid sit, vid. *l.* 3. T. *de inceſt. & inutil.*
36 Nota contractum, facio, ut des.
37 Data semel libertas revocari non potest.
38 *L.* 5. §. 3. *ff. de præscr. verb.* v. Forcatulli *m. c.* 3. *Cupid. n.* 5.
39 Emancipatione jus patriæ potestatis solvitur. §. 6. *inst. quib. mod. jus pat. potest.*
40 Vid. *instit. de legit. parent. tutela. l.* 1. §. 1. 2. *ff. si quis a parent. manumiss.*
41 Idem pater esse potest & manumissor. vid. *ff. si quis a parente manumiss.*
42 Emancipatus cum patre suo potest transigere.
43 De non petendo scilicet.
44 Pactum enim valet ad exceptionem. *l.* 27. §. 2. *ff. de pact.*
45 Novatio quid sit, vid. *l. 1. ff. de novationib.*
46 Acceptilatio quid sit, vid. *l. 1. ff. de acceptilationib.*
47 Quia acceptilatio perimitur ipso jure. *d.* §. 2.
48 Ob immodicam lætionem transactio rescindi potest. & ita *lex* 2. & 8. *J. de rescind. vendit.* pertinet ad transactionem. adde *l.* 3. *J. comm. utr. judic.*
49 Adde *l.* 30. *ff. de operis liberorum. l.* 11. §. 1. & *l.* 12. *ff. de dolo. & metu.*
50 An id abrogatum, vid. *l.* 1. §. 43. *ff. de vi & vi.* 1. Harmen. 2. *c.* τὶ ἐστὶ χρηματικὸν, &c.
51 Ex indiciis, Cujac. 11. *obs.* 11. *in fin.* ἐκ τῶν ἐνδείξεων, 10. *l. ult.* T. *qui & adversus quos.*
52 Atqui dolus interdum præsumitur. *Novell.* 155. *cap.* 1. *vers. Propter causas.*
53 Nec enim vagari oportet in dolo obiciendo. *l.* 19. *ff. Eclog.* 3. *c.* 46. & ita *in l.* 8. *in pr.* T. *de rescind. vendit.*
54 Et persuasione. *l.* 9. §. 1. *ff. eod. l.* 4. §. 28. *ff. de doli mali & metus. l.* 6. *ff. de probat.*
55 *L. un. C. Th. eod.* ex qua hæc interpolata.
56 Actio de dolo nec *tus excepit.*
57 Biennii: olim erat annalis: vid. Cujac. 21. *de præscript.* silentio perit actio de dolo. *ut hic*, *Eclog. c.* 43. *eod.* at non perit exceptio: est enim perpetua, 1. Harm. 3. *c.* περὶ δόλου. §. 70. & 71.
58 Nassio.
59 4. *D.* 4. Paul. 1. *sent.* 9. & 2. *C. Theod.* 16. & 10. *Eclog.* 4. & 1. Harm. 12. Papon. 3. *Notariat.* 9. *cap. de restitution de minori.* An ut minor, ita fiscus & Ecclesia in restitutionibus restituitur. 9. *cap. de restitution de minori.* Ut minor, ita fiscus & Ecclesia in restitutionibus restituitur: fic fane: dixi T. *de jure fisci.*
60 *L.* 8. §. 1. *l.* 15. §. 1. *ff. de inoff. testam.* hinc colligitur: fic fane: dixi T. *de jure fisci.*

De bonorum possessione, & numero liberorum.

2. Imp. GORDIANUS A. Alexandro.

EO tempore, quo soror tua auxilio ætatis juvabatur, si patris intestati bonorum possessionem accipere debuit, licet quinque [1] filios superstites habuerit, non tamen ideo minus ad Edicti prærogativam pertinet: scilicet si nunc per ætatem beneficium restitutionis largitur. PP. 8. Id. Aug. ULPIO (PIO) & PONTIANO CONSS. 239.

De contractu minoris habentis vel non habentis curatorem.

3. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIM. AA. & CC. Attiano.

SI [2] curatorem habens minor quinque & viginti annis post pupillarem ætatem res vendidisti, hunc contractum servari [3] non oportet [4]: cum non absimilis [5] eihabeatur minor [6] curatorem habens, cui a Prætore curatore dato, bonis interdictum est. † Si vero sine curatore constitutus contractum fecisti: implorare in integrum restitutionem [7], si necdum tempora præfinita excesserint, causa cognita non prohiberis [8]. Dat. 14. Kal. Maji, *Heracliæ*, AA. CONSS. 293.

De probatione minoris ætatis: & tempora restitutionis excessisse.

4. Iidem AA. & CC. Isidoro.

SI minorem te quinque & viginti annis fuisse, cum contraheres, ostenderis [9]: & tempora [10] restitutionis præstituta excessisse, ab adversario tuo comprobatum non fuerit: Præses [11] provinciæ in integrum restitutionis dare tibi auxilium debet. Dat. 6. Kal. Maji, *Heracliæ*, AA. CONSS. 293.

Si dolus adversarii non probetur: si ante impletum 25. annum restitutio petatur.

5. Iidem AA. & CC. Rufo.

MInoribus in integrum restitutio, in quibus se captos [12] probare [13] possunt, etsi dolus adversarii non probetur, competit. §. 1. Ante [14] impletum etiam quintum & vicesimum annum, de his, in quibus se captos existimant minores, posse in integrum restitutionem implorare, certissimi juris est. Dat. 5. Kal. Maji, *Heracliæ*, AA. CONSS. 293.

De morte adversarii.

6. Iidem AA. & CC. Sententiæ.

SI intra ætatem, cui succurri solet, in integrum restitutionis [auxilio] lis [15] inchoata [16] est, nec ei a te renunciatum est, mors ejus, contra quem hæc fuerit implorata, fraudi tibi esse non potest. Dat. 5. Kal. Maji, *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

De tutore falso ætate probata liberato.

7. Iidem AA. & CC. Severæ.

DE tutela avunculi ejusdemque tutoris, cui [17] falso ætate probata præstitisti liberationem, quem ignarum ætatis [18] tuæ non fuisse tam officium [19] tutelæ quam sanguinis proximitas arguit [20], si necdum statutum tempus excessit, ex causa in integrum restitutionis heredes ejus convenire potes. Dat. 11. Kal. Auguſt. CC. CONSS. 294.

De prætermissis vel ignoratis.

8. Impp. HONOR. & THEOD. AA. JULIANO Proconsuli Africæ.

MInoribus in his, quæ vel prætermiserunt [21], vel ignoraverunt, innumeris auctoritatibus constat esse consultum. Dat. Non. Maji, CONSTANTIO V. C. CONS. 420.

De eo qui usus est jure communi.

9. Imp. ZENO A. Æliano P. P.

NOn [22] videtur circumscriptus esse minor, qui jure sit usus communi [23]. Dat. Kal. Jan. BASILIO V. C. CONS. 480.

TIT. XXIII.

DE FILIOFAMILIAS MINORE [24].

De fidejussione.

1. Imp. GORDIANUS A. Gaudiano militi.

Filiusfamilias, si minor vigintiquinque annis pro extraneo fidejussit [25], in integrum restitutionem implorare non prohibetur. Sed & si [26] pro patre suo fidejussor extitit, eique diem suum functo non [27] successit: in integrum restitutionem postulare potest. Dat. Kal. Jul. GORDIANO A. II. & POMPEIANO CONSS. 240.

De mutuo.

2. Idem A. Triphoni militi.

SI frater tuus, cum mutuam [28] pecuniam acciperet, in patris fuit potestate, nec jussu ejus, nec contra Senatusconsultum contractum est: propter lubricum ætatis, adversus eam cautionem in integrum restitutionem potuit postulare. PP. 3. Non. Octob. ULPIO & PONTIANO CONSS. 239.

TIT. XXIV.

DE FIDEJUSSORIBUS MINORUM.

Restitutio concessa minori non prodest fidejussori. Alex.

De evictione.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Mironi.

POstquam [29] in integrum ætatis beneficio restitutus es, periculum evictionis emptori, cui prædium ex bonis paternis vendidisti, præstare non cogeris. Sed ea res fidejussores, qui pro te intervenerunt, excusare non [30] potest. Quare mandati judicio, si pecuniam solverint, aut condemnati fuerint, convenieris: modo si eo quoque nomine restitutionis auxilio non juvaberis. 6. Kalend. Octob. SEVERO A. & ALBINO CONSS. 195.

De obligatione fidejussoris obvenditionem & de dolo.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Curioni.

SI ea, quæ tibi vendidit possessiones interposito decreto præsidis, ætatis tantummodo auxilio juvatur, non est dubium fidejussorem ex [31] persona sua obnoxium esse contractui: Verum si dolo [32] malo apparuerit contractum interpositum esse: manifesti juris est, utrique personæ, tam venditricis, quam fidejussoris consulendum esse. S. 6. Kal. Maji, DIOCLETIANO III. & MAXIMIANO AA. CONSS. 287.

TIT. XXV.

SI TUTOR VEL CURATOR INTERVENERIT [33].

De aditione hereditatis.

1. Imp. ANTONINUS A. Martianæ & aliis.

SI jam puberes utriusque sexus parentum hereditatem adiistis; si etiam nunc in ea ætate estis, ut, eo quod pateræ hereditati vos obligastis, in integrum restitutionis auxilium accipere debeatis: per [34] procuratores vestros adite præsidem provinciæ. Quod si legitimam ætatem implestis, idque tempus [35] quo in integrum restitui potestis, excessistis, curatores vestros, si adversus eos nondum experti estis, judicio secundum formam juris convenite. PP. 2. Non April. LÆTO & CEREALI CONSS. 216.

De gestis in judicio vel extra judicium.

2. Imp. ALEX. A. Martianæ.

MInoribus [36] annis vigintiquinque etiam in [37] his, quæ præsentibus tutoribus, vel curatoribus, in judicio, vel extra judicium gesta fuerint, in integrum restitutionis auxilium superesse, si circumventi sunt, placuit. PP. 3. Non. Mart. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De male gestis a tutore vel curatore, & de concurrentibus remediis.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Nicomedi.

ETiam in his quæ minorum tutores vel curatores male gessisse probari possunt [38]: licet personali actione a tutore vel curatore [jus] suum consequi possint, in integrum tamen restitutionis auxilium eisdem minoribus dari jampridem placuit. Dat. 4. Non. Maji MAXIMO & AQUILINO CONSS. 286.

De contractu cum curatoribus.

4. Iidem AA. & CC. Isidoro.

SI creditor non vestram [39] personam [40], sed curatorum secutus, cum ipsis contractum habuit, & ab ipsis stipulatus est: nullam ei prorsus adversus vos actionem competere manifestum est. 5. Kal. Maji, *Heracliæ*, AA. CONSS. 293.

1 Vid. *l.* 12. T. *de admin. & peculiat. tut.*
2 Si absque curatoris sui consensu minor quidquam alienaverit, nihil videtur facere, 1. Harmen. 12. §. 37.
3 De quo vide Jasonem *ad l. videamur. num.* 17. *ff. de in limit. jur.* sed an possit donare causa mortis sine curatore tractat Tiraquel. *post leges connubial. gl.* 5. *n.* 72. & 83. Mod.
4 Atqui possunt ex stipulatu obligari. *l.* 101. *ff. de verb. oblig.*
5 Minor habens curatorem ei est similis, cui bonis interdictum, id est, prodigo comparatur.
6 Neuter sua potest alienare. An eo tantum casu similis est? Roberto negat, 1. *animadverſ.* 12. Antonius Mercator ait 1. *Not.* 12.
7 Legendum videtur major, ut minori curatorem habenti comparetur major bonis interdictus, & ideo curatorem habens.
8 Quæ datur, quoties constat de læsione: & ita contractus adulti non est ipso jure nullus. Nam si nullus esset, non daretur restitutio. Hæc enim ad ea tantum refertur, quæ antea tenuerunt. *l.* 7. *in fin. ff. de exceptionibus.*
9 Qui ætatem allegat, eam probare tenetur. *l.* 9. T. *de probat. nec enim præsumitur quis minor.* Vid. Alciatum 2. *præsumpt.* 14. nisi quid aliud aspectus demonstret. *l.* 32. *ff. de minorib.* 25. *ann.*
10 Vid. T. *de temp. in integrum.* adde *l.* T. *si tutor vel curat. interven. Novell.* 155. *cap.* 1. *vers. Propter causas.*
11 In Gallia rex solus restituit, ideoque minor non auditur in Gallia sine literis regiis. Rebuff. *in proœm. conſt. gloſſ.* 5. *num.* 48.
12 Graviter scil. & ita non in omnibus. *l. ult.* T. *eod. l.* 44. *ff. de minoribus* 25. *ann.*
13 An minori incumbat onus probandæ læsionis, vid. *l.* 16. *verſ. Empter autem.* T. *de pradiis, & aliis rebus minorum. l.* 13. §. 2. *ff. de Publician. act.* adde *l.* 9. §. 4. *ff. de jure jur.*
14 *L.* 1. *in fin.* T. *si minor se majorem.*
15 Instantia restitutionis in integrum transit ad heredem.
16 Restitutione Postulata nihil innovandum, nec executio impedienda, *ut hic*: nisi sententia lata sit a Principe vel judici apparet restitutio in fraudem petita. *c. suscetata. extr. de in integrum restitut.* vide Socin. *reg.* 346.
17 Id est, cui, cum falso ætatem esse probavisset, liberationem fecisti. adde *l. ult.* T. *si minor se major.*
18 Ætas testibus probari potest.
19 *L.* 2. §. 2. T. *de jure jur. propter calumn.*
20 Conjuncti sanguine præsumuntur esse ætatem cognatorum. *l.* 19. *in fin. ff. unde cognati, l.* 37. T. *de liberali causa.* Ea præsumptio tam efficax est, ut onus probandi transferat. vid. Roland. a Valle 1. *conſ.* 19. adde *l.* 9. T. *de nupt.* alias ignorantia præsumitur. *l.* 6. T. *qui militare poſſ.*
21 *L.* 44. *ff. de minorib.* 25. *ann.* vid. *tit.* T. *si ut omiſſ.*
22 *Synopſ. Baſil.* 10. *tit.* 4. *cap.* 58. & 1. Harm. 12. §. 61.
23 Seu publico. *l.* 11. §. 3. *in fin. ff. de minorib.* 25. *ann. l.* 51. §. 4. *in fin. ff. de fidejuſſ. & mandat. l.* 47. *in fin. ff. de ſolutionibus. l.* 116. §. 1. *ff. de reg. jur.* vid. Molin. *quæſt.* 13. *de uſur. num.* 164. Cujac. 16. *obſ.* 14.
24 Restituendo scil. 3. §. 4. *l.* 38. *in fin. ff. de minorib.* 25. *ann. l.* 8. §. 6. T. *de bon. quæ lib.*
25 Si adversus fidejussorem. *l.* 7. §. 3. *ff. de minor.* 25. *ann.*
26 *L.* 8. T. *de fidejuſſ. & mandat.*
27 Filius, qua filius est, pro patre non tenetur, sed qua heres. *l.* 3. *l.* 4. T. *ne filius pro patre. l.* 12. T. *de oblig. & action.*
28 Vid. *l.* 1. T. *si adverſ. creditr.*
29 In integrum restitutis minoribus, tenentur nihilominus, qui eorum nomine fidejusserunt. 1. Harm. 12. §. 64.
30 Minore restituto ejus fidejussores non restituuntur. *l.* 2. T. *l.* 13. *ff. de minor.* 25. *ann.* Imo restituuntur. *l.* 51. *ff. de procur.*
31 Id est, nolis uti.
32 Minore restituto non restituitur ejus fidejussor: eoque respectu, restitutio beneficium personale dicitur, quoties autem ad heredes descendit, dicitur reale. vid. Warmser. 1. *præſ.* 25. *obſ.* 3. hoene perpetuo veram est, restituto minore fidejussorem non restitui? restitui constat in *l.* 51. *ff. de procur.* Imo non restituitur *hoc tit. l.* 35. *ff. de Receept. qui arbitr.* Sic sentio: si dolus intercessit in fidejussione, fidejussor juvatur; ut hic. *l.* 7. §. 1. *ff. de exceptionib.* quemadmodum si nihil creditori minoris deperit. *l.* 89. *ff. de adq. vel omitt. hered.* si ignoravit minorem. *l.* 8. §. 1. *ff. de fidejuſſ. & mandat.* si minor succesſit. *l.* 95. §. 3. *ff. de ſolut.* Si hæc desint non juvatur. *l.* 13. *ff. de minorib.* 25. *ann. l.* 25. *ff. de fidejuſſor. & mandat.* Rei cohærentes exceptiones etiam fidejussori competunt. *l.* 7. §. 1. *ff. de except.*
33 An restituendus minor? dicut T. *eod.*
34 Per curatores vestros. Cujac. *ad. illud* 25. §. 1. *ff. de minorib.* 25. *ann.*
35 *L.* 4. §. *de in integrum restit.*
36 Minores, qui sub tutela vel sub curatione sunt, in iis in quibus circumscripti fuerunt etiam præsentibus tutoribus vel curatoribus restituuntur. *Synopſ. Baſil.* 10. *tit.* 10. *cap.* 7. *c.* 1. Harm. 12. §. 34.
37 Minor circumventus in judicio vel extra, præsente etiam tutore vel curatore, restituitur. *l.* 4. *verſ. Nam si.* T. *si adverſ. rem judic. l. ult. ff. de in integrum restit. l.* 29. *l.* 47. *ff. de minorib.* 25. *ann.*
38 Personalis actio ordinaria: restitutio extraordinaria, utraque competit minori adversus tutores & curatores.
39 Id est, minoris.
40 Tutor spondens sui pupilli nomine, non ut tutor, sed ut quivis sponsione fua non obligat pupillum.

De concurrentibus remediis.

5. Iidem AA. & CC. Valentino.

ETiam tutoribus vel curatoribus distrahentibus, vel [1] aliis contrahentibus, minores tam restitui rebus propriis, quam tutorum vel curatorum damna sequi, nullo eis præjudicio per electionem [2] generando, placuit. 6. Id. Decemb. CC. CONSS. 294.

TIT. XXVI.

SI [IN] COMMUNI EADEMQUE CAUSA IN INTEGRUM RESTITUTIO POSTULETUR.

Pactum sororis fratri non præjudicat, ut nec restitutio sororis fratri patrocinatur.

1. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. & CC. Aphobio & aliis.

NEc si major vigintiquinque annis soror vestra fuit, vobis non mandantibus [3], nec ratam [4] transactionem habentibus, de jure vestro quicquam minuere potuit. Nam si cognitis, quæ gessit [5], his consensum post vigintiquinque annos [ætatis] commodastis: quamvis illa [6] minor pro portione sua restitutionis auxilium implorare possit: vobis tamen, ad communicandum Edicti perpetui beneficium, ejus ætas patrocinari non [7] potest [8]. S. 3. Idus August. CC. CONSS. 294.

TIT. XXVII.

SI [9] ADVERSUS REM JUDICATAM [10] [RESTITUTIO [11] POSTULETUR.]

De judicio tutelæ.

1. Imp. ALEXAND. A. Viliis.

MInus ex tutelæ judicio consecuti, de superfluo [12] habere actionem ita potestis, si tempore judicii minores annis fuistis, & nunc beneficium ætatis vobis largitur: Cæterum, si post legitimam ætatem sententia prolata est, iterato [13] eandem actionem de eisdem speciebus inferre non potestis. PP. 5. Kal. Febr. POMPEJANO & PELIGNO CONSS.

De patria potestate.

2. Imp. GORD. A. Serenæ.

SI cum pater tuus te in sua potestate esse, minimeque emancipationem [14] a se factam valere diceret, Proconsul super causa cognoscens, te ejus potestati subjectam pronunciaverit: cum adversus eam sententiam in integrum restitui postules: is, qui provinciam regit, in impertienda cognitione suas partes secundum leges exhibebit. PP. 15. Kalend. Decemb. ULP. & PONTIANO CONSS. 239.

De sententia ejus, qui vice Principis judicavit.

3. Imp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS Cæs. Ælianæ.

ADversus sententiam ejus, qui tunc vice [15] Principis [16] judicavit, in integrum restitutionis auxilium apud Prætorem seu Præsidem provinciæ Clarissimum Virum flagitare nequaquam poteris: Nam adversus ejus sententiam, qui vice Principis cognovit, solus [17] Princeps restituet. P. P. 18. Kal. Novemb. PHILIPPO A. & TITIANO CONSS. 246.

De minoribus defensis vel indefensis.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Urbinio & aliis.

CUm & minores vos esse affirmetis, & indefensos [18], nullum vobis præjudicium fieri Præses provinciæ pro sua gravitate curabit. Nam si justa defensione tutorum, vel curatorum vobis assistente [19], aliquid statutum est: intelligitis in integrum restitutionis auxilium vobis esse necessarium: eodem [20] obtinente, etiamsi per procuratorem vestrum legitime [21] ordinatum lis agitata est. Dat. 16. Kalend. Maji, MAXIMO & AQUIL. CONSS. 287.

De sententia lata contra tutores vel curatores.

5. Iidem AA. & CC. Martiano.

IN rem [22] pupilli, vel adulti contra tutores seu curatores a Præside lata sententia, restitutionis auxilium non [23] minus, quam si quid adversus eos fuisset statutum, implorare minores posse constat. Dat. 10. Kal. Novemb. AA. CONSS. 293.

TIT. XXVIII.

SI ADVERSUS VENDITIONEM [24].

De jurejurando.

1. Imp. ALEX. A. Florentino Militi.

SI [25] minor annis vigintiquinque emptori prædii cavisti *nullam de cætero te esse controversiam facturum*, idque etiam jurejurando [26] corporaliter [27] præstito servare confirmasti, neque [28] perfidiæ [29], neque perjurii [30] me auctorem [tibi] futurum sperare debuisti. Dat. 6. Kal. Septemb. *

Nova constitutio FRIDERICI [31].

SAcramenta puberum [32] sponte facta super contractibus rerum suarum [33] non retractandis inviolabiliter custodiantur [34]. † Per vim [35] autem, vel per justum metum extorta etiam a majoribus, (maxime ne querimoniam maleficiorum commissorum faciant) nullius esse momenti jubemus.

De commentitiis venditionibus, vel curatorum insidiis.

2. Imppp. CONSTANT. [CONSTANTIUS [36] & CONSTANS, AAA.] ad populum.

IN [37] integrum restitutione minoribus adversus commentitias [38] venditiones, & adversus tutorum [seu curatorum] insidias, sanctionum præsidio cautum esse non dubium est. Dat. Idib. August. *Sirmii*, CONSTANTIO II. [39] & CONSTANTE CC. CONSS. 340.

TIT. XXIX.

SI ADVERSUS VENDITIONEM PIGNORUM [40].

Si res minoris est vendita jure creditoris minor non restituitur, nisi ob enorme damnum. Bald.

1. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Sabinæ & aliis.

ETiam [41] adversus venditiones pignorum [42], quæ a [43] creditoribus fiunt, minoribus subveniri, (si tamen magno detrimento afficiantur) jampridem placuit: Si igitur pignori captis prædiis, ac distractis, enorme damnum ex hujusmodi venditione passos vos ostenderitis; præsertim cum hodie minores vos esse affirmetis, auxilium restitutionis vobis impertietur. Dat. 10. Kal. Decembr. *Sirmii*, ipsis AA. CONSS. 293.

2. Iidem AA. & CC. Severæ & Clementinæ.

REm [44], quam a [45] patre vestro quondam creditor ejus obligatam sibi distraxit, per ætatem vestram postulantium revocari desiderium non habet rationem: Quod juris est, etiamsi extraneo successistis: Nam si creditor non bona fide versatus est: ipsum magis, vel tutores, sive curatores vestros, qui hanc venundari passi sunt, convenite. Dat. 13. Kalend. Maji, *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

TIT. XXX.

SI ADVERSUS DONATIONEM [46].

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Theodoræ.

SI [47] quæ res [48] ante nuptias congruenti [49] moderatione a minore annis vigintiquinque marito sponsaliorum tempore, etiam curatore præsente, tibi donatæ sunt: obtentu ætatis non revocabuntur. S. 3. Non. Novemb. DIOCLETIANO & ARISTOBOLO CONSS. 285.

1 Hanc colligunt differentiam inter distractum & contractum. 2 Minor restitui potest adversus electionem.

3 Gestum ab aliquo, sit nostrum mandato, vel ratihabitione. 4 Ratam qui habet venditionem rei suæ, sibi præjudicat, *ut hic*. Imo non præjudicat. *l. 9. ff. de negotiis gest.* 5 In minori ætate. Imo initium actus inspicitur. *l. 3. §. Sed si 2. ff. de minorib.* 25. *ann.* 6 Factum unius ex fratribus non nocet alteri. *l. 1. §. de comm. rerum alienat. l. 1. §. quibus res judicata.* 7 Restitutio minori concessa non prodest major, quamvis minoris consorti & socio. vide *l.* 47. §. 1. *ff. de minorib.* 25. *ann.* Imo prodest in individuis, pura servitutibus. *l.* 4. §. 3. *vers. Itaque. ff. si servitus vindicetur. l.* 1. §. *si tunus ex plurib. appell. l.* 10. *in pr. ff. quemadm. servitutes.* vid. *hic* Bart. 8 Vide Alexandrum *consil.* 55. *num.* 17. *lib.* 5. Ruinum *consil.* 77. *lib.* 4. Afflictum *decis.* 213. Mod.

9 Minores condemnati restituuntur, in litem rursus movere possint. *Synops. Basil. lib.* 10. *tit.* 7. *tit.* 9. Etiam adversus rem judicatam minoribus datur in integrum restitutio. 1. Harmen. 12. §. 47. 10 *L.* 18. *ff. de minorib.* Restitui minor etiam potest, si provocationem omisit. *l.* 7. §. 11. *ff. de minorib.* vel allegationem. *l.* 36. *dict. tit.* si contumax fuit. *l.* 53. 54. *ff. de re judic.* adversus sententiam cujusque judicis, etiam Principis. *l.* 3. *ff. eod. l.* 18. §. 1. *ff. de minorib.* etiamsi de causa status agatur. *l.* 2. *ff. eod.* utcunque a tutoribus defensus fuerit. *l. ult. ff. eod. l.* 29. *l.* 47. *ff. de minorib.* 25. *ann.* 11 Remedia adversus sententiam, restitutio. *ut hic*: appellatio. *ff. de appellation. & consult.* supplicatio adversus sententiam Principis & Præfecti Prætorio. *l.* 5. *& Anth. sequenti*, §. *de precibus imper. offer. l. unic. ff. de sentent. pref. prat.* querela falli. *ff. de falsis instrument.* nullitatis propositio. de qua vide Oldendorp. *cap.* 57. *de exception. & in tract. de sentent. & re judic.* Papon. 2. *Notar. cap. Des exceptions.* 12 Minor etiam adversus partem sententiæ potest restitui. *l.* 29. §. 1. *ff. de minorib.* 25. *ann.* 13 Minor (aliud in majore) potest restitui adversus sententiam. *l.* 18. §. 1. *l.* 40. *ff. de minorib.* 25. *ann.* vide ad hunc locum Cujac. 16. *observ.* 2. 16 Vel Præfecti Prætorio. *l.* 16. *in fin l.* 17. *ff. de minorib.* 25. *ann.* Quid si his in Principis auditorio judicata? iterum judicari potest. *l.* 18. §. 1. *ff. de minorib.* 25. *ann.* 17 4. §. 1. 18 Sententia lata contra minores indefensos, est ipso jure nulla: e contrario, Ubi legitime defensi, valet judicium & sententia. *l.* 2. §. *in quibus causis in integrum restit.* 19 Vide *l.* 2. §. *si tutor vel curator interv.* 20 Idem præstat atque efficit procurator legitimus, quod tutor & curator. Poterit ne autoritatem pupillo præstare? Bald. putat posse. 21 Vel a minore cum autoritate tutoris. *l.* 23. *in fin. ff. de minorib.* 25. *ann.* 22 Id est, contra commodum minorum. 23 Sententia lata contra tutorem in causa pupillari, dicitur lata contra pupillum: ideo pupillus potest restitutionem petere.

24 Quid? adversus emptionem poterit ne restitui? poterit non modo, si eum emptionis contractæ pœniteat. *l.* 1. §. *ult. l.* 27. §. 1. *ff. de minorib.* 25. *ann.* sed si eam affectet. *l.* 35. 38. *ff. de minorib.* 25. *ann.* Potest etiam restitui adversus permutationem. *l.* 4. *ff. de pradiis & aliis rebus minorum.* est enim emptioni vicina. *l.* 2. *ff. de rerum permutat.* ejusque quasi mater. *l.* 1. *in pr. ff. de contrah. empt.* Plura de restitutionibus adversus emptionem, vid. in *l.* 1. §. 13. *ff. si quid in fraud. patron.* 25 Minor restituitur adversus venditionem propriam, etiam si jusjurandum interposuerit. *Synops. Basil.* 10. *tit.* 10. & 12. & 1. Harm. 12. §. 65. *l.* 27. §. 1. *vers. Item ex diversis. ff. de minorib.* 25. *ann. l.* 11. *ff. de pradiis & aliis rebus minorum.*

26 Minor jurejurando potest sibi auferre restitutionis beneficium. Minores restituuntur adversus venditionem propriam, etiamsi jusjurandum interposuerint. 10. *Eclog.* 10. & 12. adde *l. ult. ff. de non numer. pecun.* 27 *L.* 3. *in fin. ff. si minor se majorem.* id est, tactis Sacrosanct. Evangeliis, vel manu fublata, quod Balsamo vocat σωματικὸν ὅρκον. vid. Cujac. *ad Nov.* 51. adde *l.* 9. §. 4. *ff. de jurejur.* 28 Dic tamen ut in authentica proxima.

29 His verbis Imperator denegat jurisjurandi veniam. 30 His verbis denegat Imperator restitutionem in integrum. 31 2. *Feudor.* 53. §. 3. 32 In hanc authent. vid. Joann. Yanez. *rer. quotid. lib.* 2. *cap.* 4. *per tot.* & Montan. *de tutel. cap.* 33. *num.* 577. & *seq.* Philipp. Corneum *in repetit. solenni.* Idem Jure Canonico, *can.* 14. *parvulis & c. seq.* 22. *quæst.* 5. Ant. Merend. *lib.* 1. *controv. cap.* 1. Alexand. Speerell. *decis. for. Eccles.* 47. Anf. Adde Matth. de Afflict. *decis.* 322. & 339. Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 23. *cap.* 5. Fachin. *lib.* 3. *controv. cap.* 10. & 11. S. I. 33 Juramentum præstitum a pubere super contractu alioqui nullo facit, ut is valeat. Doct. hic communiter, & latissime: sed an hoc locum habeat in pupillo docet, ut is valeat. Doct. hic communiter, & latissime: sed an hoc locum habeat in pupillo docet, ut is capace: & an talis jurans possit ultra quadriennium dicere se enormiter læsum, docebit te Afflictus *decis.* 322. item an hæc dispositio locum etiam habeat in donatione. Decius *consil.* 181. idem Afflictus *decis.* 393. *num.* 11. Hippolyt. *singul.* 299. Tiraquel. *de legibus connubial.* 34 Hoc non servatur in Gallia. *Minor* enim gratiam sive dispensationem jurisjurandi petit ab episcopo, vel ejus vicario: quæ non solet ei denegari. postea vero literas impetrat a regale vel ejus cancellario: & ita servatur in Curiis omnibus etiam in restitutione majorum. Rebuff. *in proœmio consil. gloss.* 5. *n.* 50. Idem *tit.* 2. *tract. de restit. & relevat.* 35 Vide Cujac. Rebuff. *in proœmio consil. gloss.* 5. *n.* 50. Idem *tit.* 2. *tract. de restit. & relevat.* 36 Inducenda sunt hæc nomina *Con.* 2. *feud. tit. hac edictali* §. 53. §. *item Sacramenta.* 37 *L.* 1. *C. Theod. de statutis & Constans*: tribuendaquippe hæc lex Constantino M. 38 *L.* 7. §. 8. *ff. de minorib.* 39 Ipso Aug. VII. & Constantino X. IV. id est, A. D. 326.

40 10. *Eclog.* 11. 41 Minores restituuntur adversus venditionem pignorum suorum factam a suis creditoribus, si in ea magno detrimento sint affecti. *Synops. Basil.* 10. *tit.* 1. 42 *L.* 9. *l.* 38. *ff. de minorib.* 43 Adde *l.* 4. *ff. de rebus alienis non alienand. l.* 2. *in fin. ff. de pradiis & aliis rebus minorum.* 44 Restituuntur minores adversus venditiones pignorum a creditor bus factas: nisi forte eorum pater pignori ea obligavit creditoribus, non ipsi minores. 1. Harm. 12. §. 49. 45 Minor adversus distractiones eorum pignorum & fiduciarum, quas pater obligaverat (si non ita ut oportet distractæ sint) restitui in integrum potest. Paul. 1. *sentent.* 9. §. *ult.* adde *l.* 1. §. 2. *l.* 5. §. 3. *ff. de rebus eorum qui sub tutel.* & cita pignus hereditarium, id est, successione ad minorem delatum, potest a creditoribus distrahi; Conventionale, id est, a minore constitutum non potest.

46 10. *Eclog.* 12. 47 *Syn. Basil.* 10. *tit.* 12. & 1. Harm. 12. §. 45. 48 Mobiles. Nam immobiles non potest sine decreto alienare. *l.* 8. *ff. de prad. & aliis rebus minorum.* 49 Minor potest uxori moderate nuptiarum causa donare, curatore præsente: aliud si nimium ei donaverit. *l.* 4. *ff. de prad. & aliis rebus minor. l.* 12. §. 3. *ff. de admin. & peric. tutor.*

Pater non potest alienare res donatas filiis emancipatis.

2. Iidem AA. & CC. Medeæ.

SI in te ac fratrem tuum emancipatos [1] pater vester donationem fecit: in alium postea transferendo portionem ejus, nihil vobis abstulit: Nec si frater tuus [sibi] quæsiti prædii rustici partem donanti patri consensit, dominium ab eo discedere potuit propter Senatusconsulti auctoritatem: nec auxilium in integrum restitutionis hac in re necessarium est. In aliis vero rebus quæ etiam sine decreti recitatione alienari possunt: si, postquam sibi donatæ fuerint, postea alii donanti eandem patri voluntatem [2] in minori ætate commodavit, nec præstituta tempora restitutionis excessit: hoc auxilium implorare potest. Dat. 8. Kal. Jan. AA. CONSS. 293.

TIT. XXXI.

SI ADVERSUS LIBERTATEM [3].

De sententia.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Hamniæ.

SI post decretum prætoris viri clarissimi, qui *fideicommissariam libertatem deberi pronunciavit*, Secundus, (quem conditioni non paruisse conquereris) manumissus non est, ætas tua litis instaurationem admittit. Quod si [4] libertatem (quamvis indebitam) dedisti, non posse eam revocari intelligis: sed damnum [5], quod ob eam causam illatum est judicio negotiorum gestorum a curatoribus tuis esse sarciendum. PP. 2. Kal. Jul. LATERANO & RUFINO CONSS. 198.

De manumisso vindicta.

2. Imp. GORD. A. Solanoæ.

ETsi [6] minor viginti annis, ut allegas, constituta, servum tuum ab eo circumscripta, in consilio [7] manumisisti: tamen vindictæ [8] impositio, qua libertas justa munitur, nec obtentu quidem ætatis rescindi potest, indemnitati [9] vero tuæ a manumisso, scilicet sarciendæ, ab eo, cujus jurisdictio est, quatenus juris ratio permittit, consuli debet. PP. 6. Id. Mart. GORDIANO A. II. & POMPEIANO CONSS. 242.

Si vindicta vel alio modo manumissio facta sit: & de fraude curatoris.

3. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. Marthonæ & Sabinillæ.

QUos retrahi in servitutem postulatis, si non [10] in concilio causa cognita, cum minores annis viginti fuisletis, manumisistis, non [11] per in integrum restitutionem, sed ipso [12] jure persequi potestis. Quod si probata causa, libertas præstita est: restitutio in integrum contra libertatem locum habere non potest. Si tamen in ea re, culpa seu fraude liberti, ejusdemque curatoris ratio vel ra læsa sit: sarciri [13] damnum ab eo, qui hoc intulit, Præses provinciæ curabit, non dubitaturus etiam graviorem executionem adhibere, si quid tam aperta fraude commissum est, ut puniendum in liberto crimen deprehendatur. PP. 8. Kal. Octob. SECULARE II. & DONATO CONSS. 261.

De sententia.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Tatiano.

IN [14] judicio de liberali causa sententiam pro libertate latam, ne quidem prærogativa minoris ætatis sine appellatione [15] posse rescindi, ambigi non potest. Dat. 6. Id. Jan. ipsis AA. V. & IV. CONSS. 293.

TIT. XXXII.

SI ADVERSUS TRANSACTIONEM [16] VEL DIVISIONEM [17] [IN INTEGRUM MINOR RESTITUI VELIT.]

Minore restituto contra transactionem vel divisionem, restituitur adversarius adverterem actionem. Bald.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Antonio.

CUm in integrum pupilla restituta, rescindi transactionem [18] vel divisionem [19] placuit: tu quoque actionibus, quas pridem habuisti, uteris. PP. 15. Kal. April. *Sirmii*, AA. CONSS. 203.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Hymnodæ.

SI ex persona minorum in integrum restitutio adversus transactum propter ætatis auxilium imploretur: tibi quoque agenti ex integro vel replicatione contra exceptionem pacti, vel si peremptam esse constet, pristinam obligationem ex instauratione negotii tributa [20] [tibi] actione consulendum est. Dat. Kal. Decemb. AA. CONSS. 303.

TIT. XXXIII.

SI ADVERSUS SOLUTIONEM [21] A TUTORE VEL A SE FACTAM.

Minor causa cognita restituitur adversus solutionem factam ejus curatori. Bald.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Sotericæ.

EXemplo cæterorum debitorum tutores etiam, quæ ex administratione tutelæ debent, curatoribus solventes liberantur: sed ante tempus in integrum restitutionis præstitutum edicto perpetuo permissum [22] beneficium implorari, & an sit tribuendum, per causæ [23] cognitionem æstimari potest. Dat. 6. Id. Febr. CC. CONSS. 294.

2. Iidem AA. & CC. Laurinæ.

INdebito [24] legato, licet per errorem juris a minore soluto repetitionem ei decerni: si necdum tempus, quo restitutionis tribuitur auxilium, excesserit, rationis est. Dat. 15. Kal. April. *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

TIT. XXXIV.

SI ADVERSUS DOTEM [25].

Minor circumscripta in datione dotis viro tantæ dote indigno, non tantum ipsa restituitur, sed etiam heres ejus.

1. Imp. ALEX. AA. Valenti.

QUoniam circumventam [26] dicis sororem tuam [27] omnia [28] bona in dotem dedisse: an veritas allegationi [tuæ] adsistat; si [29] ad te hereditas sororis tuæ, vel bonorum possessio pertinuit, & tempora [30] nondum præterierint, intra quæ legibus conceditur ex persona defuncti postulare in integrum restitutionem; præses provinciæ, præsente adversa parte [31], examinabit. Dat. 6. Id. Jul. MAXIMO & PATERNO CONSS. 234.

TIT. XXXV.

SI ADVERSUS DELICTUM.

Regula & exceptio.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Longino.

IN criminibus [32] quidem ætatis suffragio minores non juvantur: etenim malorum mores infirmitas [33] animi non excusat. Si tamen delictum non [34] ex animo, sed [35] extra venit: noxia non committitur, etiam si pœnæ causa pecuniæ damnum irrogetur: & ideo minoribus in hac causa in integrum restitutionis auxilium competit. Dat. Id. Octob. SEVERO A. II. & VICTORINO CONSS. 201.

De petitione tutoris omissa.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Proculæ.

LIcet in delictis ætate [36] neminem excusari constet: matri tamen, quæ filiis tutorem ætatis lubrico lapsa non petiit, eorum minime denegari successionem convenit: cum hoc in majoribus matribus tantum obtineat [37]. 5. Nonas Mart. CC. * 294.

TIT. XXXVI.

SI ADVERSUS USUCAPIONEM.

Contra usucapionis damnum minor restituitur.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Isidoræ.

COntra eos, qui res [38] minorum tenent, si usucapione [39] dominium acquisierint, restitutionis auxilium eis decerni debet. Dat. Kal. Maji, *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

TIT. XXXVII.

SI [40] ADVERSUS FISCUM [41].

De venditione.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Longino.

SI Probus in minore ætate constitutus, circumventus a Rufino dispensatore [42] nostro, venditionem [43] rei, præcipiti animo, pretio longe minore [44] contrahere festinavit: juris publici [45] fiscus noster in integrum restitutionis jure sequetur auctoritatem [46]. Dat. * SEVERO A. II. & VICTORINO CONSS. 201.

De judice competenti, & de causæ cognitione.

2. Imp. ALEXAND. A. Antiocho & aliis.

1 Pater non potest res donatas filiis emancipatis alienare: vel ita, Donatum a patre minori emancipato, nequit alteri pater donare. *Syn. Bas. d.c.* 10. ne quidem minore ipso consentiente. 1. Harm. 12. §. 26. 2 Qui alienare non potest, non potest alienationi consentire. *l.* 160. *ff. de reg. jur.*

3 10. *Eclog.* 13. 4 Minor adversus jam collatam libertatem restitui non potest: adversus competituram potest. *l.* 11. §. 1. *l.* 33. *ff. de minor.* 25. *ann.* 5 *L.* 2. 3. *l. eod. l.* 11. *l.* 48. §. 1. *ff. de minorib.* 25. *ann.* 6 Etsi minor circumscriptus servum in concilio manumiserit, non restituitur: sed a manumisso indemnitati ejus consulitur: si fine concilio manumiserit, restituitur. *Syn. Basil.* 10. *tit.* 13. 7 Εν συνεδρίῳ. *Synops. Basil.* 10. *tit.* 13. vid. *ff. de vindicta libertate, & apud concilium manumissione* 50. *Eclog.* 13.

8 Dixi ad *Ulp.* 1. §. 7. 9 Vid. *l.* 1. *in fin.* §. *eod.* 10 *Eclog. d. loco.*

11 Cur ita? quia quod est nullum rescindi non potest. 12 Vid. 12. *ff. in quibus causis restitutio.* 13 Vid. *l.* 1. *in fin.* §. *eod.* 14 Sententia pro libertate lata ne quidem prærogativa minoris ætatis rescindi potest. *Synopf. Basil.* 10. περὶ ἐλευθερίων, *ex tit.* 3. *cap.* 4.

15 *L.* 19. *ff. de appellationib. & consultat.*

16 Transactione læsus minor restituitur, 10. *Eclog.* 14. 17 Divisione læsus minor restituitur. adde *l.* 17. *ff. de prad. & aliis rebus minorum.* 18 *L.* 96. §. 1. *ff. de solutionib.* minor tametsi tranlegerit, restituitur. *Synopf. Basil.* 10. *tit.* 14. 19 *L. penult. ff. comm. divid. l.* 17. *ff. de prad. & aliis reb. minor. l.* 11. §. 2. *in fin. l.* 8. §. 2. *in fin. ff. de reb. eor.*

20 Tributa actione rescissoria. Cujacius *ad l.* 28. *ff. de minorib.* 25. *ann.*

21 Solutione tutoris vel curatoris læsus minor restituitur. *l.* 98. §. 2. *ff. de solutionib.* vid. Socin. *reg.* 263. 22 Promissum, Cujac. 17. *obs.* 6. 23 *L.* 11. §. 3. *l.* 24. §. 1. *l.* 44. *ff. de minorib.* 25. *ann.* 24 *L.* 25. *ff. de minor.* adde *Synops. Basil.* 10. *tit.* 15.

25 10. *Eclog.* 4. 16. 26 Dotem omnium bonorum constituendo mulier circumscripta restituitur, *ut hic*, adde *Syn. Basil.* 10. *tit.* 16. Eadem ratione in dotis æstimatione decepta restituitur. 1. Harmen. 12. §. 50. 27 Sunt, qui putent pugnare cum hac lege *l.* 63. *ff. de jure dot.* sed frustra putant: illa enim lex loquitur non de dote data, sed tantum de promissione facta ultra facultates mulieris. *Mod.* 28 *L.* 3. §. 5. *l.* 9. §. 1. *ff. de minorib.* Idem dicendum si supra vires patrimonii. *l.* 43. §. 1. *ff. de admin. & pericul. tut.*

29 Heres minoris mulieris deceptæ in dote constituenda restitutionem petere potest. Restitutio transit ad heredem. *l.* 18. §. 5. *ff. de minorib.* 25. *ann. l.* 6. 7. *solut. matrimon.*

30 *L.* 2. *l.* 4. 7. *de restit. in integ. l.* 6. *ff. de in integr. restit.* 31 Id est, marito: ut hinc colligas, dotem profectitiam penes maritum manere. vid. quæ scripsi ad *l.* 4. 7. *soluto matrim. l.* 6. *ff. de jur. dot. l.* 40. *ff. soluto matrim.*

32 *L.* 2. *l. eod. l.* 9. §. 2. *l.* 37. §. 1. *in princ. ff. de minorib.* 25. *ann.* 1. Paul. *sent.* 9. §. 1. *l.* 36. *ff. de adult. l.* 14. *in fin. ff. de SC. Silaniano.* 33 Infirmitas non excusat peccantem.

34 Hanc negativam Haloander non legit. 35 Sed ex contractu, *Hal.* id est, ex reipsa tantum. Græci ita legunt: ἀλλ' ὅτε τὸ ἁμάρτημα μὴ ἀπὸ ψυχῆς πονηρᾶς, ἀλλ' ἀπὸ συναλλάγματος ἤρξατο: sed ita *Synopf. Basil.* 10. *tit.* 17. εἰ μὴ ἐκ πονηρᾶς ψυχῆς καὶ προαιρέσεως γένοιτο τὸ ἁμάρτημα. Harmen. 1. *tit.* 12. §. 25. *item.* εἰ μὴ ἐκ πονηρᾶς ψυχῆς καὶ προαιρέσεως γένοιτο τὸ ἁμάρτημα. Contractu, inquam, eoque involuntario. vid. Cujac. *hic.* 36 Ætas non excusat a delicto: nisi tam imbecillis sit, ut non sit capax delicti. vid. Molin. *de usur. quæst.* 13. *num.* 104. 37 Aliam rationem adfert, ne & filium & hereditatem ejus simul amittat.

38 Confuse satis loquitur Imp. nec enim distinguit mobiles an immobiles. 39 Sic statuo, Res pupilli mobiles, viles præfertim & tempore perituras, legitime a tutore distrahi. *l.* 22. *circa fin. ff. de admin. & pericul. tut.* easque usucapi. sed & immobiles legis præscripto, & sine ulla læsione alienatas in eadem causa fieri. §. *si adverf. vend.* Si alteratur illegitime venditæ *tit.* non usucapi, *ut hic. l.* 45. *ff. de minorib.* 25. *ann. l.* 48. *in princ. ff. de adq. rer. dom.* adde *l. ult. l. in quibus caus. in integr. l.* 3. *in fin. ff. de præscript.* 30. *vel.* 40. *ann.* 10. *Eclog.* 4. *tit.* 18.

40 Etiam adversus fiscum restituitur minor. adde 1. Harm. 12. §. 46. & *Syn. Basil. tit.* 19. 41 *Eclog.* 16. *c.* 19. 42 Dispensator Principis, qui ejus pecunias administrat. *C. Theod. de his, qui cum administratore contraxerunt* 10. *tit.* 24. adde *l.* 4. §. *de fide instrum.* & quæ scripsi ad Varronem *in fine lib.* 4. Nonium 3. *num.* 18. Fest. *in dispensator.* Theophil. §. *rectte. Inst. de mandat. l.* 51. 62. *ff. de solution.* 43 Vel locationem. *l.* 45. §. 13. *ff. de jure fisci.*

44 *L.* 2. 8. *ff. de rescind. vendit.* 45 Id est, communis. Minor restituitur etiam contra fiscum, sicut adversus privatum. 46 Atqui non videtur restituendus, cum ei decepto competat ordinarium beneficium. *l.* 2. *ff. de rescind. vendit.* Restitutio utilior est minori,